DE CEPHALOTRIPSIA
RATIONE INPRIMIS HABITA CEPHALOTRIPTORIS BAVDELOCQVIANI.

DISSERTATIO
INAVGVRALIS MEDICA-OBSTETRICIA.

QUAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN

ALMA LITERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICA GVILELMA

VT SVMMI

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTVR

DIE VIII. M. AVGVSTI A. MDCCCXL

H. L. Q. S.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GUILELMUS RINTEL

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBVS:

O. SCHVLZE, MED. ET CHIR. DR.
H. SCHVLTZE, MED. ET CHIR. DR.
L. DRIESEN, SVP. ORD. PRAEC.

BEROLINI,

TYPIS NEVDORFFIANIS ET SOC.

VIRO

ILLVSVRI, CELEBERRIMO
HVMANISSIMO

DIET. GVIL. HENR. BVSCH

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORI, MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO IN VNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GVILELMA, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, INSTITVTI OBSTETRICII REGII DIRECTORI, EQVITI, PLVRIVM SOCIETATVM LITERARIARVM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET FAVTORI SVMMOPERE
COLENDO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

LVD. GVIL. RINTEL

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORI

MEDICO PRACTICO

HVNCCE LIBELLVM
PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

PROOEMIVM.

Casus, qui notetur, dignissimus, cujus observandi in obstetricio regio policlinico copia mihi est facta, ut hunc libellum exararem, me impulit.

Quod eo libentius suscepi, ut Viro Ill. Busch, praeceptori meo dilectissimo, fautori maxime colendo quo duce per tria semestria artem obstetriciam exercebam, ob eximiam erga me humanitatem et indulgentiam palam observantiam meam testarer, nec minus Patri dilectissimo, optimo, cui omnia debeo, gratias, quas habeo maximas, agerem.

Haec quidem dissertatio et operationem satis cognitam et, quo facillime instituatur, instrumentum exhibet, quod nondum satis perspectum mihi videtur esse, Cephalotriben dico Baudelocquianam. Si hoc opusculo nihil obtinuero quam ut viri docti rem propositam accuratius et diligentius investigent eique lucem clariorem affundant, illi arti, in qua potissimum studium meum colloco, profuisse mihi videbor.

Te vero, L. B., rogatum velim, ut hunc libellum nihil exhibere opineris, nisi tironis primum tentamen.

Cap. I.

Cephalotripsia est operatio, qua caput embryonis instrumentis chirurgicis ita conquassatur et comprimitur, ut partus, si propter nimias pelvis angustias mulier parturiens nec viribus naturae partum eniti, nec forceps cum successu adhiberi possit, sine ulla applicatione instrumentorum secantium vel perforantium facile perficiatur.

Operationes, eundem finem spectantes ac Cephalotripsia, diminuendi scilicet capitis circuitus, inde ab antiquissimis temporibus institutae sunt, sed pro rationis et instrumentorum diversitate varia iis nomina indita sunt, ut embryulciae, embryotomiae, excerebrationis, cet. Chirurgia operativa, quae nostra aetate id perfectionis obtinuit, ut chirurgorum antiquorum crudelitatem omnino perhorrescamus, sexui quoque muliebri, doloribus partus jam satis cruciato, commoda tulit, eaque non minima hoc instrumento, in quo describendo potissimum haec commentatio versabitur. Antequam vero ad Cephalotriptorem Baudelocquianum accedamus, historica quaedam breviter commemorare liceat.

Cap. II.

Jam in Hippocratis operibus de auxilio artificiali parturientibus ferendo legimus. Cornel. Celsus artem versione et extractione infantis defuncti atque Embryotomia auxit. Jugulatio embryonis instrumento vel ferreo vel cupreo, quod Graeci *Εμβρυουρέκτην* seu *μάχαιρον* vocabant, ea ratione instituebatur, ut vasa sanguifera in vertebris, collo vel pectore dissecarentur. Corpus exsangue collapsum et attenuatum, cultris uncorum similibus laceratum, uncis plus minusve hebetibus extrahebatur. Interdum caput embryonis apertum est, ut proflueret cerebrum (Excerebratio) denique alvo infantis discissa intestina manu vel uncis protracta sunt (Exenteratio). De quibus singulis operationibus infra accuratius disseretur.

Cap. III.

Plinius in historia naturali primam sectionem caesaream in muliere gravida mortua institutam commemorat, quae operatio, si non alia commoda, certe ea habuit, ut partium muliebrium Anatomia accuratius cognosceretur. Arti obstetriciae, usque ad decimum quartum saeculum inscitiae atque superstitionis tenebris involutae, nova lux affulsit, universitatibus litterariis conditis, praecipue vero sectione cadaverum muliebrium concessa et anno 1315 a Mondini da Luzza publice instituta.

Primum sectionis caesareae in muliere viva factae nuntium sub finem saeculi quinti et decimi Nicolai de Falconiis [1]) memoriae tradidit. Paulo post Jacobus Nufer in conjuge sua eandem operationem instituisse atque matrem et infantem servasse fertur, auctore Casparo Bauhin, qui se audiisse fatetur, illam sectionem caesaream ante octoginta annos esse institutam. Quam vero sententiam tulit et defendit Dr. Mansfeld, sectionem caesaream initio saeculi duodecimi apud Ebraeos jam cum suc-

---

1) Nicolai de Falconiis: observationes chirurgicae. Ven. 1491.

cessu esse institutam, a plerisque historiae medicae peritis negata et refutata est.

Cap. IV.

Anno 1545 Jacobus Rueff [1]) librum edidit, quo descripsit instrumentum forcipi simillimum ad concutiendum et comprimendum caput embryonis, quae inventio magni habenda mihi videtur, quippe in qua pleraeque conditiones jam positae sint, quas secutus Assalini volsellam suam construxit, quam correxit Baudelocque. Ceterum errant, qui hoc instrumentum Rueffi primam fuisse forcipem putent. Post centum annos Chamberlaine instrumentum se reperisse proclamavit, quo partus difficillimus, praevio capite feliciter perfici posset, quod occultatum multorum obstetricantium animos in se convertit. Anno 1693 Chamberlaine arcanum suum Roogero Roonhuysen (abs quo vulgo appellatur arcanum Roonhuysianum), Cornel. Boeckelmann et Friderico Ruysch vendidit, qui vero non minus occultum habuere. Joh. Daniel Schlichting [2]) arcanum Roonhuysianum embryulcia detecta se reperisse putavit, cui, affirmante Rathlaw [3]) eo usque fides est habita, donec Jacobus de Visher et Hugo van de Poll [4]) instrumentum celatum sub nomine vectis publicarunt.

Cap. V.

Anno 1768 medico-chirurgus Parisiensis, Sigault, remedium se invenisse professus est, quo plane inutiles redderentur et

---

1) Jac. Rueff: De conceptu et generatione hominis Tigur. 1554.

2) Joh. Dan. Schlichting: Embryulcia detecta etc. et Appendix embryulc. det. etc. Amsterd. 1747.

3) Het berugt Geheim in de Vroedkunde van Rogier Roonhuysen etc. door J. P. Rathlaw. Amsterd. 1747.

4) Het Roonhuysiaansch Geheim in de Vroedkunde entdeckt etc. Tweeledige Verhandeling door J. de Visher en H. van de Poll. Leyden 1754.

sectio caesarea et perforatio, quod in dissectione ossium pubis, Synchondrotomia seu Symphysiotomia, constitit. Complura experimenta a Dr. Ruffel in cadaveribus instituta docuerunt, talem extensionem pelvis, si magna sit, periculosissimam fore, sin exigua, pelvisque perangusta, ad sectionem caesaream apta, nulla commoda afferre.

Petrus Camper [1]) Franekerianus, experimentis in cadaveribus humanis et suibus vivis institutis, contendit, hac operatione non sectionem caesaream, sed in magna capitis incuneatione perforationem supervacaneam reddi. Quod judicium publice prolatum una cum exhortationibus Professoris Leroi, viri magno contra Levret odio incensi, Sigault commovit, ut in muliere paupere parturiente anno 1777 synchondrotomiam institueret [2]). Eventus operationis talis fuit, ut infans parvus, quem naturae viribus facile enixa esset mulier, ederetur, mater ipsa per totam vitam claudicaret. Nihilominus magnus rumor agitatus est, non propter praestantiam operationis, sed ut Levret ejusque amici offenderentur et ex eo tempore synchondrotomia vario exitu saepius est administrata.

Cap. VI.

De inventionibus recentioribus, de quibus postea latius disserere mihi proposui, pauca tantum hoc loco commemorabo. Instrumenta, quae adhuc describi oportet, omnia eundem spectant finem, capitis ossa, praesertim basin cranii, perfringendi, taque caput ad id volumen redigendi, quod non amplius partum retinere possit. Hic Assalini, Baudelocque et Ritgen erunt vo-

---

1) Peter Camper: Dissertatio de emolumentis et optima methodo in sitionis variol. etc. accedunt: ejus epistola ad D. van Gescher de emolumentis sectionis synchondroseos ossium pubis in partu difficili etc. Groningae 1774.

2) Récit de ce que s'est passé à la faculté de Médecine à Paris, au sujet de la section de la symphise des os pubis, pratiquée sur la femme Suchót à Paris 1777.

candi, qui huic rei operam dederunt, Baudelocque cum eventu nondum satis probato. Relictis igitur rebus historicis, quae ad nostrum finem satis illustratae sunt, ad varia operationum genera, de quibus jam breviter diximus, ad Embryotomiam, Exenterationem, Symphysiotomiam, Embryulciam et Excerebrationem nos vertamus, quarum incommoda enumerare propositum mihi est, ut commendem obstetricantibus Cephalotriptorem Baudelocquianum, his vitiis carentem.

Cap. VII.

Embryotomiam et Exenterationem, operationes nostris temporibus rarissimo institutas, tum solum indicatas, cum aliae corporis partes embryonis ac caput sint incuneatae pelvi, silentio praeterire liceat. Etiamsi enim contendere nolimus, Cephalotribe has crudelissimas operationes nullo modo inutiles reddi posse, si pari modo ad illas partes quam ad caput applicetur et ossibus pectoris, humeri aliarumve partium praeviarum fractis, infantis versio suscipiatur, tamen hoc exemplis non probatum est, quare, his operationibus omissis, ad embryulciam, excerebrationem, Synchondrotomiam, praevio capite instituendas transeamus.

Cap. VIII.

Erat olim mos, laniatos foetus uncinis excudere. Unci simplices aut duplices, manubriis, catenis, aut annulis instructi, acuti aut obtusi, flexi aut directi, quin etiam instrumenta diversissima e supellectili hunc in usum rudissime parata, in orbitas, cervicem, collum et pectus infigebantur. Tum vel obstetricator ipse, vel Ammanuenses ejus per uncos extrahere corpus conabantur, duplice utplurimum eventu, ut vel uncis evulsis laederentur partes muliebres, vel capite abrupto ab embryotomia sola salus esset petenda. Raro evenit, ut corpus hoc modo et sine matris laesione et sine discretione partium infantis extraheretur; tum vero mater impetui acerrimo in vires suas at-

que doloribus ingentibus vix restitit. Ceterum haec operatio, antiquitus usitata, saeculo superiore a Schlichting denuo publicata et commendata et a noto Mittelhaeuser aliisque nugatoribus hujusmodi diligenter et frequenter instituta, nostris temporibus a celeberrimis obstetricatoribus rejicitur, qui uncis non utuntur, nisi perforatione antea facta.

Cap. IX.

Majoris momenti est perforatio, hactenus omnino adhibita si apta datur occasio. Equidem huic operationi minus inimicus sum, quam Osiander, qui, nescio utrum operationis an obstetricatorum, qui ea usi sunt, odio acerrimo incensus, turpissima nomina illis indidit; non tamen me fugit, multis, quae objecit, fidem esse habendam. Ex quo tempore per auscultationem signa certiora de vita aut morte embryonis exstant, perforationi opprobrio non vertamus, quod saepissime ad necem infantum crudelem contulerit. Attameu, quamquam certum est signum infantis vivi, si ictus cordis adhuc audiuntur, interdum tamen accidit, ut absentibus aliquamdiu cordis ictibus, de morte embryonis fallamur. Ita nuper etiam obstetricator celeberrimus Herbipolitanus, perforatione instituta, infantem adhuc vivu n extraxit. Horrendum visu! cum medico, tum matri atque parentibus. Sin vero et obstetricatores peritissimi tali errore irretiuntur, nonne operatio, quae tantum errorem certe celat et medico honorem et bonam existimationem servat, quae denique tot et tanta commoda, postea exponenda, praebet, omnino praeferenda est? Alia perforationis incommoda, praesertim si obstetricator, auctore Siebold, perforatorium in caput intrudit, nec leniter et maxima cum diligentia inducit, in eo cernuntur, ut instrumentum ab ossibus cranii delapsum matrem laedat. Tum quoque saepius et peritissimis viris accidit, ut ossa cranii post perforationem volsella fracta, uterum, vaginam, vesicam urinariam vel intestinum rectum lacerarent, quin etiam ut manus obstetricatoris instrumentis laederentur. Praeterea notissimum

est, inter certum perforationum numerum dimidium fere funestum exitum habere, quod Baudelocque affirmat, dicens: „in nosocomio Parisiensi, quod vocatur Maternité, intra annorum sedecim et dimidii spatium mulierum, quae perforatione instituta sint enixae, plus dimidia parte esse mortuum.“

In Germania res melius se habet. Riecke [1]) narrat, inter octoginta quatuor perforationes, ab anno 1821 ad annum 1825 in regno Wuertembergensi institutas, triginta unam tantum male cessisse. Numerus sane non exiguus! Unde quidem non sequitur, semper uncos evulsos causam mortis fuisse, quod vero docet, perforatione impetum acerrimum in vires parturientium fieri, cui saepius succumbant, dum inter partus forcipe perfectos exiguus tantum numerus exitum lethalem sortitur. Mox videbimus, instrumenti Baudelocquiani applicationem ab illa forcipis parum differre, atque partes genitales muliebres eo non ita incitari, quam perforatorio et uncis, quo fit, ut rarius morbi periculosi sequantur, qui post multas perforationes optime et felicissime peractas mortem ferunt.

Cap. X.

Superest, ut de Synchondrotomia nonnulla disseramus. Hae fere rationes me commovent, ut hanc operationem rejiciam:

1) Pelvis perangusta, talis praecipue, qualis rhachitica esse solet, cujus conjugata nimis parva est, synchondrotomia parum, nec unquam satis, dilatatur, ut caput mediocre extrahi possit [2]). Dilatatio vero violenta ad augendam conjugatam symphysi sacro-iliacae periculum molitur.

---

1) Riecke's Uebersicht der Geburten im Königreich Würtemberg in den Jahren 1821 — 1825. Stuttgart 1827.

2) E. Bentely — Diss. de sectione synchondroseos oss. pubis Argent. 1779 pag. 39 §. 38. „Quod pelvis capacitas sectionis synchondroseos ope amplietur quidem at non in tota sua circumferentia aequabiliter quodque recta Diameter aperturae superioris, cujus dilatatione maxime opus esset, aliquot solum modo lineolis augeatur.“

2) Synchondrosis sacro-iliaca ossificata, quae nunquam ante operationem cognoscitur, eam plane impedit.

3) Nonnunquam etiam symphysis ossium pubis ossificata prohibet, quo minus scalpello perficiatur operatio. Quam periculosus, certe dubius in tali casu serrae usus sit, facile intelligitur. Quod saepius etiam accidit, ut synchondrosis non sit recta, ut puncta ossificationis in cartilaginem immineant, varia denique cartilaginis in mulieribus variis durities difficultatem operationis satis demonstrat.

4) Quae omnia exitum operationis maxime dubium reddunt, quam vero feliciter peractam alia pericula sequuntur: gangraena vulneris, coarctatio urethrae etc., quibus saepe succumbunt mulieres partum enixae.

Liceat judicium G. L. Wagemanni [1]) proferre, quo auctore sectio caesarea, nec non perforatio cranii, ceteris paribus, matri et infanti tutiores sunt, quam Methodus Sigaultiana.

Cap. XI.

Omnes hae rationes, quae incommoda embryulciae, excerebrationis, Symphysiotomiae demonstrarunt, diutius jam obstetricatores excitaverant, de nova methodo, qua illa incommoda vitarentur, cogitare; quum anno 1810 Assalini [2]) instrumentum, a Gervasoni in litteris [3]) ad Dr. Dolcini anno 1811 datis accuratius descriptum, inveniret.

E duobus brachiis est compositum, altero superiore, altero inferiore, quae per cochleam ita committi possunt, ut caput

---

1) C. F. Jaeger praes. G. E. Wagemann auctor. Disquisit. obstetricia, an in summo incuneationis gradu praeferenda sit methodus nova Sigaultiana hactenus usitatae capitis perferationi vel et sectioni caesareae. Tub. 1779.

2) Assalini; observationes practicae de tutiori modo extrahendi foetum jam mortuum supra vitiatam pelvim detentam. Mil. 1810.
Assalini: Nuovi stromenti d'ostetricia. Mil. 1811.

3) Gervasoni: Su l'uso de nuovi stromenti di ostetricia del Prof. Assalini. Mil. 1811.

plane cochlearibus comprimatur. Assalini non nisi ad caput a corpore avulsum comprimendum et extrahendum hoc instrumento uti voluit, quo propter brevitatem cochlearium caput in exitu tantum, vel in cavitate pelvis minoris, minime vero supra ejus introitum comprehendi et extrahi potest, et quum curvaturà cochlearium non pelvi sed capiti adaptata, eademque impar sit, instrumenti applicatio varias difficultates praebet. Alterum cochleare versus excavationem ossis sacri dirigitur, alterum pone symphysin ossis pubis. Ceterum hoc instrumentum ab ipso Assalini „volsella", ab aliis „Conquassator capitis" vocatum, idem efficit, quod Baudelocquianum et si longioribus cochlearibus esset instructum, etiam supra pelvis minoris introitum applicari posset. Baudelocque hoc instrumentum mutavit et, quod videbimus, itá correxit, ut in plerisque casibus, iis quoque, quibus Volsellae usus plane prohibetur, et securius adhiberi possit.

Cap. XII.

Ad instrumentum illud Baudelocquianum, lingua gallica, „Cephalotribe" dictum, nos vertamus, quod Baudelocque hisce fere verbis describit [1].

Cephalotriptor est forceps longa, gravis, cochlearibus non fenestratis, quorum margines curvati sunt, atque brachiis instructa imparibus, quorum sinistrum 5″, dextrum 10½″ metitur. Cochlearium curvatura pelvi adaptata permagna est, dum curvatura exigua, capiti embryonis accommodata, id spectat, ut cochlearium appropinquatio capitisque conquassatio quam maxima effici possit. Junctura brachiorum ita formatur, ut cylindrus liber brachii sinistri incisuram marginis brachii dextri impleat, in modum juncturae Wiedemannianae. In fine brachii

1) Révue médicale française et étrangère et journal de Clinique de l'Hôtel de la Charité etc. Août 1829 Variétés. — Institut royal de France. — Juillet, séance du Lundi 6, pag. 322.

dextri est manubrium eburneum, seu ebeninum, quod una cum apertura longiore, ad cochleam recipiendam apta, differentiam efficit, quae inter brachia instrumenti exstat. Forceps libr. 6, cochlea cum manubrio suo libr. 1½ totum igitur instrumentum libr. 7½ pondus habet. Cochlearia linea recta 11″, secundum curvaturam pelvi accommodatam 12″ metiuntur, in latitudinem 16‴ in crassitiem 3‴ habent.

Brachia quae crassitiem 6‴ habent, aspera et alte sulcata sunt, ut manus obstetricatoris delabi nequeant. Cochlearia extrinsecus laevia, marginibus curvatis, intus paululum excavata. Maximum inter cochlearia intervallum 1½″ efficit. Cochlea tribus vel sex meatibus instructa, manubrio 4 — 6 pollices longo dirigitur. Apertura brachii dextri ad cochleam recipiendam constituta 3½″ longa et 5‴ lata est, dum brachium sinistrum matricem cochleae continet.

Cap. XIII.

Caput embryonis cochlearibus ita comprimitur, ut et basis cranii perfringatur et ossa parietalia maxime appropinquentur, quo facto cranium ad spatium pollic. 1½ redigitur. Frusta cerebri per orbitas, raro per nares, rarius per os effluunt, dum galea aponeurotica et pericranium, ossium fractorumvi resistens, impedit, quominus matris partes laedantur, quod probarunt centum experimenta a Baudelocque in infantibus mortuis instituta. Vis instrumenti ad vim, qua resistunt ossa frangenda instrumento, rationem habet ut 1: 165.

Applicatio Cephalotriptoris a consueta forcipis haud multum differt. Cochlearibus introductis, junctura clausa, cochlea per incisuram brachii dextri in matricem brachii sinistri immissa, tamdiu torquetur, quamdiu capitis deminutio continuari potest tum eadem ratione, qua forcipe utimur, partus perficitur.

Cap. XIV.

Complures obstetricatores et ante et post inventum Cephalotriptorem instrumenta huic similia, eundem finem spectantia, descripserunt, e quibus potissimum notatu digna: Volsella seu conquassator capitis Assalini jam commemorata, et instrumentum quod invenit Ritgen, de quo in capite sequente disseremus. Praeterea hic commemoro forcipem Osiandri, cochlearibus non fenestratis et in fine brachii finistri lamina mobili instructam, cujus margo, unci instar curvatus, incisuras sulcis similes laminae immobilis, sub angulo recto ad finem brachii sinistri affixae, implet, quibus, unco nimirum et sulcis, ad cochlearia, capite loco cochleae manibus compresso, in situ suo retinenda usus est. Ordinaire [1]) in thesi sua de forcipe describit instrumentum, quod Cliet Lugduni ad eundem finem adhibuit et Bodarous [2]) docet, Colombe anno 1828 similem construxisse forcipem, quae et ipsa loco forcipis vulgaris applicari potuerit. In Anglia Holme Craniotome forcipi, vel forcipi compressori Haigthon et Davis, forcipem Cephalotriptori simillimam substituisse fertur [3]).

Champion [4]) describit Cephalotriptorem ut instrumentum longitudinis et gravitatis eximiae, quare commotus Gourdon [5]) brachium alterum et cochleam breviora reddidit pondusque ad libr. 6. deminuit. Charrière Lutetiae instrumentum Baudelocquianum ita construxit, ut pondus libr. 4. vix excedat, de qua re ipse haec dicit:

„Sa légèreté, comparée a son extrême lourdeur primitive, vient de la trempe, que j'ai proposé à Mr. Baudelocque, lorsqu'il me demandait un changement dans une partie de cet in-

---

1) Thèse, Strasb. 1826.

2) Thèse, Paris 1830.

3) Ryan, Manual of Midwifery p. 608.

4) Thèse, Paris 1832.

5) Thèse et Journ. de méd. 1833.

strument. Le premier, que j'ai exécuté, pesait quatre livres cinq onces; il a été essayé à l'hôpital des enfans trouvés en présence de Mrs. les Docteurs Gourdon et le François. Nous l'avons comparé à un instrument, que Mr. Baudelocque avait fait faire et qui pesait le double. Le dernier a cédé d'un pouce, ayant été appliqué sur la tête d'un enfant, qui avoit vécu vingt un jours."

Vituperium nimii ponderis instrumento objectum his verbis plane solvitur. Busch novissimis temporibus et cochleam et manubrium ejus, cujus longitudo liberum instrumenti usum valde impediebat, contraxit et finibus cochlearium paululum intus flexis prohibere voluit, quominus instrumentum a cranio delabatur.

Cap. XV.

Transeamus ad instrumentum a Cel. Ritgen propositum, et quum in promtu habeamus, quae ipse de eo scripsit, ipsis ejus verbis utamur [1]:

„Quum primum anno 1829 de Cephalotriptore, quem Baudelocque jun. invenit, certior factus essem, in mentem mihi venit, forcipem unamquamque ita mutari posse, ut et forcipis et Cephalotriptoris loco adhiberetur. Ad quod consequendum ante omnia necessarium mihi visum est, ut cochlearia fenestris privarentur. Tum invenienda erat cochlea, quae cum finibus brachiorum simpliciter conjungi atque facile reponi posset. Tandem cochlearia ita jungi necesse erat, ut intervallum multo angustius appareret, quam per solitam forcipis juncturam fieri posset. Qui vero apparatus simplicissimus esse debebat, nec qui impediret liberum forcipis usum.

Hanc quaestionem propositam fig. 8 et 9 tabulae primis lineis designatis expedivisse mihi videor. (Instrumenti expo-

1) Gemeinsame Deutsche Zeitschrift für Geburtskunde herausgegeben von Busch, Mende und Ritgen. Band 17. Weimar 1831. pag. 200.

sitionem vide in Append.) Cum forceps adhibetur, cochlearia ratione solita ad caput applicata junctura superiore clauduntur. Tum longissime distant brachia. Epistomiis cochleae per foramina, quae sunt in finibus brachiorum, trajectis, manubrium celeriter circumagitur. Collisis hoc modo cranii ossibus, extractio capitis vel statim instituitur, vel aperitur antea junctura superior, quum, si clauditur instrumentum junctura inferiore, periculum minuatur, ne cochlearia delabantur. Hoc instrumentum prius jam judicio publico submisissem, nisi semel certe eo uti voluissem. Quo facto, non bene mihi cessisse ejus applicationem fateor. In quo casu apparatu ad caput conquassandum usus sum, forcipe frustra adhibita, infantis caput in positione octava, occipite directe ad tergum verso, pelvi minore incuneatum erat. Quum embryo non amplius viveret, cochlearia forcipis meae introducta junctura superiore clausa sunt. Cochlea in foramina tum immissa brevi fregit ossa cranii. Minime tamen tractiones iterum atque iterum repetitas caput secutum est, instrumentum potius delabi minabatur. Aperta junctura superiore, ope inferioris caput extrahere non valui, sed denuo cochlearia delabi coeperunt. Remoto igitur instrumento, forceps solita nihil effecit. Tandem aperto capite ope perforatorii mei trepaniformis, forcipis tractionibus partus perfectus est.

Genitalia externa operatione paululum contusa, fomentis aromaticis mox restituta sunt. Mulier enixa institutum obstetricium sana reliquit.

Metum, ne epistomium secundum cochlearis masculi forcipis obstetriciae liberum usum arceret, hicquidem casus refutavit.

Solum incommodum in eo versatur, ut forceps paulo gravior esse debeat, quam forceps obstetricia solita. —
Qui casus etsi non bene commendat instrumentum, tamen haud sufficit ut plane rejiciatur. Experimenta saepius repetita docebunt, utrum hic apparatus Cephalotriptori Baudelocquiano merito substitui possit, nec ne. Non saepius vero adhibita et ab ipso auctore rejecta videtur esse.

Cap. XVI.

Indicatur Cephalotripsia solum infante mortuo. In animo mihi non est, certamen diu inter obstetricatores agitatum, utrum embryonem vivum perforari fas sit nec ne, quod hucusque nondum diremtum est, renovare. Sed quum hoc loco sententiam aliquam ferre meum sit, me nunquam et nullo pacto necem embryonis vivi, aut perforatorio aut Cephalotriptore consulto admittendam credere, fateor, quamobrem, de qua dicimus, operationem perforationi, minime vero sectioni caesareae substitutam velim, dummodo minima affulgeat spes, infantis vitam servandi. Post mortem igitur infantis Cephalotripsia indicatur:

1) Capite nimio, quam quod sine periculosa matris contusione forcipe extrahi possit, sive praejaceat, sive corpore reliquo jam edito remanserit.

2) Angustiis pelvis nimiis. Forcipis effectus tollitur, si conjugata minor est pollicibus tribus. Cephalotriptore utimur, si Conjugata minus pollicibus 3, plus pollicibus 2 continet. Baudelocquii propositum, instrumentum etiam pelvi angustiore adhibendi, probandum non est, quod distantia cochlearium pollices 1½, capitis compressi crassitudo dimidium certe pollicem efficit. Angustiae pelvis non solum deformitate et ossium dislocatione, sed, pelvi bene formata, interdum osteosteatomate, tumoribus etc. efficiuntur.

Cap. XVII.

Instrumentum Baudelocquianum tum tantum adhiberi potest, cum conjugata pelvis coarctata est, id quod in rhachiticis fieri solet, quod cochlear utrumque eadem directione et altitudine applicari debeat. Sin vero ceterae Diametri, praesertim obliquae, tam exiguae longitudinis sunt, ut alterum cochlear introduci nequeat, tum in omnibus fere casibus etiam infante mortuo sectione caesarea opus erit. Quod, ut exemplo utar, saepissime in pelvi osteomalacea accidit, ut alterum os pubis in-

tus sit flexum, qua re cavitatis pelvis alterum latus ita coarctatur, ut alterum solum ad recipiendum embryonis caput idoneum sit; in tali quidem casu nunquam Cephalotripsia, at fere semper sectio caesarea instituenda erit. Tum vero, cum in tali casu sectione caesarea opus non fuerit, loco perforatorii alio instrumento minus periculoso uti possumus, conquassatore capitis Assalini, eodemque longioribus brachiis instructo, quibus caput et supra pelvis minoris introitum prehendatur.

Vituperium gravitatis nimiae, ex quo tempore Charrière instrumenti pondus multum deminuit, antea jam refutavimus. Magis vero hactenus liberum cephalotriptoris usum manubrii cochleae longitudo impedivit, quippe qua vel crura parturientis offenderentur, vel cogeretur obstetricator, in unaquaque rotatione brachia ad latus semovere. Busch hoc in commodum deminuit, at non plane sustulit manubrio breviore reddito et bis flexo. Sed dubitandum non est, quin haec quoque difficultas apparatu singulari removeri possit. Superabitur, cum instrnmentum nostrum saepius adhibebitur.

Quod nonnulli dubitaverunt, extractionem capitis etiam Cephalotriptore perfici posse, magno exemplorum numero probatur et, si qui paucis in casibus uncis usi sunt, hoc non instrumento, sed potius obstetricatoribus applicationis ejus nondum satis peritis, imputandum est.

Cap. XVIII.

Baudelocque instrumento suo primum die nona mensis Februarii A. 1829 apud parturientem parvam, scrophulosam usus est, cujus pelvis, quamqam non deformis, in exitu 2¾ pollices habebat. Intra horae minuta 12 et praeparatus et perfectus est partus, qui horas 75 post primos ad partum labores, horas 73 post rupturam velamentorum susceptus est, praecedente peritonitide acutissima. Dolorum fortissimorum, instrumenti applicatione facile instituta, deminutio mira erat, eventus partus felicissimus.

Anno 1832 iterum mulierum trium partum instrumento suo Baudelocque juvit et ex anno 1834, quo denuo eo usus est, optimo cum successu saepius in Gallia adhibetur.

Berolini quater tantum, quod scio, in instituto obstetricio regio adhibitum est. Bis et conquassatio et extractio corporis optime cessit, de quibus casibus jam disseremus.

Cap. XIX.

Casus primus ad mulierem pertinet primiparam annorum 32, quae die nona mensis Julii a 1838 difficillime partum edidit. Variis conatibus, forcipis ope partum perficiendi, ab obstetricatoribus urbanis frustra factis, ab instituto obstetricio regio auxilium petitum est. Exploratione accuratiore angustiae pelvis rhachiticae repertae sunt, conjugata pollicum trium. Quum forceps ab aliis frustra jam tentata esset, neque quisquam de morte infantis dubitaret, in perforatione sola salus esse videbatur, cujus loco instrumentum Baudelocquianum, tum Berolini nondum adhibitum, in usum vocari instituti Director Ill. Busch jussit. Applicatio haud difficilis, cranium celeriter perfractum, caput facile extractum est, sequente toto infantis corpore. Puerperae vires obstetricatorum priorum tentaminibus valde confectae, mox restitutae.

Hic quidem casus instrumenti praestantiam melius probaret, si de pondere et magnitudine infantis certiores facti essemus. Desunt vero in annalibus instituti relationes accuratiores. Considerantes vero, per longum temporis spatium forcipem frustra esse tentatam, summo jure conjicere possumus, hoc in casu Cephalotriptoris praestantiam omni modo confirmatam esse.

Cap. XX.

Casus secundi, omnini infausti, in annalibus instituti indicia gravissima desiderantur, mensuratio pelvis et infantis,

quid sectio mulieris docuerit, aliaque ad partus historiam accurate explicandam necessaria. Haec pauca igitur sufficiant. Attinet hic quoque casus ad primiparam, 25 annos natam. Obstetricatoribus urbanis diu (quamdiu?) et forcipis ope et hac vel illa ratione partum perficere frustra conatis, mulier parturiens nocte, quae fuit inter diem 24 et 25 mensis Januarii a. 1839, in institutum obstetricium regium delata est. Instrumento Baudelocquiano facile introducto. pars tantum capitis prehensa est, quo factum est, ut elaberetur Cephalotriptor. Experimento repetito, capite universo ita conquassato, ut per orbitas cerebrum efflueret, caput paululum quidem promoveri, minime vero extrahi potuit, qua de causa unci obtusi et manus ope extractio tentata mox cessit, trunco statim sequente. Tota operatio circa 30 horae minuta explevit. Puerpera die decima nona mensis Februarii Phlebitide uterina et Phlegmasia alba dolente periit

Cap. XXI.

Nunc ad duos casus accurate observatos pervenimus, quorum alter ad secundiparam, alter ad multiparam pertinet. Quod attinet ad secundiparam annorum triginta, primum partum facile edidit. In hoc casu quem enarrabimus, pelvis angustiae aeque ac infantis magnitudo capitisque moles Cephalotripsiam necessariam reddiderunt. Tempore matutino at mulierem parturientem vocatus medicus instituti obstetricii regii secundarius, Exp. Dr. Schoeller, exploratione accuratiore instituta, positionem transversam, i. e. suturam sagittalem in diametro transversa sitam, invenit. Doloribus fortissimis partum non properantibus capitisque tumore qui caput succedaneum vocatur, admodum magno, forcipis applicatio indicata videbatur. Quum vero octo tractionibus summa cum vi institutis forceps elapsa esset, naturae commissum est, quae caput altius deprimeret

Sub vesperam, instrumentis ad pelvim metiendam, paratus, parturientem iterum aggreditur medicus. Mensuratio externa,

ope instrumenti Baudelocquiani sic dicti „Compas d'épaisseur" instituta, pollices septem obtulit, digitis duobus per vaginam in pelvim introductis, promontorium facile tangi potuit et longitudo conjugatae pollicum trium et quadrantis aestimata est. Forceps iterum applicata non quidem elapsa est, at caput, tractionibus plus quam viginti factis mirum in modum incuneatum, neutiquam promovebatur, accrescente capite succedaneo. Forceps igitur seposita. Brevi post, auscultatione instituta, foetalis cordis ictus non amplius audiebantur, quamobrem Cephalotriptor loco perforationis indicatae applicatus est. Altera operationis parte perfecta, capite ita conquassato, ut per orbitas effluerct cerebrum, de eo agitur, utrum extractio per Cephalotriptorem statim perficienda, an, duce Wigand, exspectandum sit donec natura infantem emoliatur. Quo Wigandii proposito nondum exemplis sibi probato, obstetricator experientissimus, qui partum juvit, exspectare decrevit, num naturae viribus infans expelleretur, removit ergo instrumentum. Quum vero post multum temporis nondum promotum esset corpus infantis, quoniam difficilius est denuo applicare Cephalotriptorem, unco obtuso per foramen ope perforatorii factum introducto, caput extractum est. Quo facto brachiis demum solutis, clunibus etiam ita resistentibus, ut haud sine aliqua vi extraherentur, partus perfectus est. Qui quidem casus docet, Wigandii sententiam non omnino esse probandam, sed multo tutius esse, conquassato capite, extractionem Cephalotriptore peragere, id quod probat casus, quem in capite sequente enarrabimus.

Infantis pondus decem fere libras aequavit ejusque longitudo viginti pollices et dimidium. Puerpera haud multum debilitata mox restituta. Unicae molestiae, quae eam diutius post partum vexabant, e nervo ischiadico compresso ortae, curationi aptae mox cesserunt.

Cap. XXII.

Quartus casus, in muliere multipara annorum 40 die de

cimo septimo mensis Octobris a. 1839 observatus est. E quinque liberis, quos pepererat, duo satis magni forcipis ope, duo minores naturae viribus, unus abortu editi erant. Hora sexta vespertina ad hanc mulierem jussu medici institutum policlinicum dirigentis missus, caput praevium intactis adhuc velamentis, supra pelvis minoris aperturam inveni. Ruptis velamentis eo usque tensis circa horam septimam, una cum funiculi umbilicalis ansa haud exigua brachium dextrum embryonis ante symphysin sacro-iliacam dextram est prolapsum, qua de causa Exp. Dr. Schoeller in auxilium vocavi, qui propter distantiam loci ab instituto obstetricio, sub horam demum octavam accessit. Dolores interea non cessantes caput altius in pelvim depresserunt. Pulsatio funiculi umbilicalis debilis quidem, at nondum plane exstincta atque duplex complicatio funiculi umbilicalis et brachii dextri prolapsi, quod nullo modo reponi potuit, indicationem dedit forcipis adhibendae. Frustra autem! Quum forceps nihil efficeret infantisque periculum, versione instituta, ceterum difficillima, idem esset, matris vero multo augeretur, naturae partus est commissus. Ad partum sublevandum brachii repositio iterum tentata tandemque impetrata est; tum vero ad augendos partus dolores tres doses secalis cornuti, singulae granorum decem, intra horam dimidiam parturienti porrectae sunt. Caput mox incuneatum fortissimi dolores intra tres horas nihil promoverunt et quum status valetudinis parturientis maxime anceps evasisset atque pulsus ictus jam intermitterent, quorum quini tantum sentiebantur, partum maxime maturari necesse visum est, ad quod perficiandem Cephalotripsiam Dr. Schoeller instituit infante jam aliquamdiu defuncto, quod ictus cordis infantilis non amplius percipiendi probarunt. Applicatione instrumenti satis celeri effectus completus obtinebatur. Ossa cranii fracta, caput tractionibus fere duodecim eductum. Brachiis solutis, reliquum infantis corpus extractum est.

Pondus infantis librarum novem, longitudo pollicum viginti fuit. Mensuratio pelvis, post partum instituta, longitudinem conjugatae trium vix pollicum esse, docuit. Haec quoque mu-

lier per complures dies ex dolore nervi ischiadici laboravit, qui vero remediis idoneis mox cessit.

Hic casus instrumenti Baudelocquiani praestantiam plane probat. Operatio intra horae quadrantem peracta est, dum perforatio facillima plus quam horae dimidiae saepius plus quam horae unius spatium exigit. Etiamsi fingamus, uncos adhibitos, non fuisse evulsos, nemo tamen Cephalotripsiae commoda in hoc casu gravissimo negabit.

Cap. XXIII.

Aegre fero, nondum pelvi angustiore Cephalotriptorem adhibitum esse, quo melius probetur, inventum Baudelocquianum laudes, quas ei tribui, mereri. Finem impono huic dissertationi optans ut perforatio hac operatione multo minus periculosa, aerumnosa, crudeli, restringatur, vel potius seponatur; neque dubito, quin, si saepius adhibitus fuerit Cephalotriptor, hic vel ille obstetricator peritus quaedam mutaturus sit, quibus usus ejus sublevetur et amplificetur.

Cap. XXIV. Appendix.

Tabulae Expositio.

Fig. 1. Instrumentum Baudelocquianum clausum.

Fig. 2. Brachium et cochlear dextrum.

a. b. Eorum longitudo - 21″

a. c. Distantia finis cochlearis a junctura - 11″ seu 12″

b. c. Distantia finis brachii a junctura - 15″

c. Incisura juncturae ad recipiendum cylindrum brachii sinistri, quibus junctis clauditur instrumentum.

d. Apertura ad cochleam recipiendam.

e. Manubrium.

Fig. 3. Brachium et cochlear sinistrum ab interiore parte.

a. b. Utriusque longitudo - 19″

b. c. Distantia juncturae a fine brachii - 10½″

c. Cylindrus, qui implet incisuram c brachii dextri (vid. Fig. 2)

d. Foramen ad recipiendam cochleam.

Fig. 4. Cochlea - 7″ cum manubrio suo - 7″ 4‴
Fig. 5. Alter Cephalotriptor paulo mutatus,

a. b. Brachium dextrum et sinistrum,

a′. b′. Cochlear dextrum et sinistrum.

c. Junctura.

d. Manubrium brachii dextri, quod in cephalotriptoribus recentioribus desideratur (vid. Fig. 10.)

e. f. Cochlea meatibus angustissimis instructa cum manubrio suo.

Fig. 6. Pars mascula juncturae.
Fig. 7. Pars feminea juncturae.
Fig. 8. Cephalotriptor quem invenit Ritgen, sine cochlea.

A. B. Cochlearia

A.′ B.′ Brachia.

a. b. Foramina ad recipienda cochleae epistomia (Zapfen) vid. Fig. 9.

d. e. e.′ e.″ Foramina quatuor brachii feminei.

d.′ Cylindrus uti apud d cum incisura c, quam elater mn. pari modo implet, ut apud d.

m. n. Elater. Apud e, e′ et e″ eius lingulae tres apparent, dum quarta apnd d animadverti non potest.

Fig. 9. Cochlea ejusdem instrumenti.

A. C. Manubrium.

A. B. Cochlea cum meatibus suis.

D. Matrix cylindrica.

b. Epistomium ejus, quod implet foramen b. Fig. 8.

E. Annulus, qui circa cochleam libere circumagi potest, sed per orbiculum B. ei affixus, ita ut a loco moverinequeat.

a. Epistomium ejus, quod implet foramen a. in Fig. 8.

Fig. 10. Pars inferior Cephalotriptoris, qui in instituto obstetricio regio adhibetur.

VITA.

Natus sum ego, Eduardus Ludovicus Guilelmus Rintel, Berolini a. huj. saec. decimo octavo, patre optimo Ludovico Guilelmo med. et chir. Doctore medico practico, matre Adelaida e gente Zelter, quibus vivis adhuc gaudeo. Primis litterarum elementis in schola Krügeriana instructus novem annos natus in paedagogium, cui Ernestus Schmid praeest, receptus sum, cui viro doctissimo propter insignem in me humanitatem et litterarum amorem mihi insertum gratissimam mentem per omne vitae tempus pie servabo.

Tres annos ibi commoratus sub auspiciis Rectoris beati Prof. Dr. Köpke, viri de me optime meriti, Gymnasium Berolinense Leucophaeum frequentavi. Post quinque annos maturitatis testimonio instructus rectore Ill. Busch inter cives academicos receptus Berolini ad artis medicae studium incubui. Primum philosophiam et historiam naturalem tractavi: Logicen me docuerunt Ill. Gabler et Cel. ab Henning, Physicen Cel. Dove, Zoologiam et Botanicen Ill. Schultz, Chemiam Ill. Mitscherlich. Medicinam quoque primis labris tetigi; osteologia enim et splanchnologia me erudivit Ill. Schlemm, Anatomia speciali et generali,

Anatomia organ. sens., Physiologia et Anatomia comparata Ill. Müller. Praelectionibus deinde theoreticis et practicis interfui. In arta cadavera rite secandi duces mihi fuerunt Ill. Müller et Ill. Schlemm. Materiam medicam me docuit Exp. Mitscherlich, Pathologiam generalem, Pathologiam et Therapiam specialem Ill. Hecker, Therapiam morborum acutorum et chronicorum Ill. Horn, Artem obstetriciam theoreticam et practicam Ill. Busch, Chirurgiam generalem et specialem Ill. Rust. Praeterea clinicis Ill. Schoenlein Cel. Wolff et Cel. Barez, chirurgico Ill. Rust et Cel. Dieffenbach, policlinicis Ill. Osann et Cel. Trüstedt, obstetricio Ill. Busch interfui. In operationibus chirurgicis et obstetriciis cum exercitationibus in machina instituendis privatissime duces mihi fuerunt Ill. Schlemm et Ill. Busch.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias habeo quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate absolutis, spero, fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I. In exiguis Strabismi gradibus operatio
instituenda non est.

II. Institutio nostra scholastica discipu-
lorum valetudini non obest.

III. Mulier gravida, criminis convicta, non
semper condemnanda est.

IV. Cephalotripsia nullo modo Sectioni
caesareae substitui potest.

V. Cephalotripsia facta, exspectandum non
est, an viribus naturae moveatur embryo.



